

DOCUMENT (S).

BREF PAR LEQUEL BONIFACE CONFIE A LANDOLPHE
COLONNE LA DIRECTION DE LA GUERRE
CONTRE LES COLONNE.

Bonifacius etc. Dilecto filio nobili viro Landulpho de Columna civi romano salutem, et apostolicam benedictionem. Ut depressio, et confusio Columnen. Schismaticorum, et Ecclesiae Romanae Rebellium eo celerius, et facilius executioni mandetur, quoad id plurium proborum virorum fuerit ministerium deputatum. Nos de tuae nobilitatis industria plenarie confidentes, volumus, et praesentium tibi auctoritate committimus, ut una cum nobili viro. . . Capitaneo militum *Talliae Tusciae* adversus scismaticos, et rebelles praedictos, et adjuutores, et fautores eorum ad captiones castrorum, terrarum, locorum, et bonorum, ac etiam personarum ipsorum, destructionem quoque, et devastationem domorum, vinearum, et arborum eorundem, et alias in omnibus, et per omnia, quae in hac parte, ad honorem, et exaltationem Ecclesiae Romanae videris expedire, procedeas viriliter, et potenter, et nomine nostro, et ejusdem Ecclesiae, Castra, terras, loca, et Personas ipsorum, quae capi contigerit, custodias, et conserves, seu custodiri, et conservari facias, et procures ad nostrum beneplacitum disponenda.

Dat. apud Urbem Veterem secundo nonas Septembris Pontificatus nostri anno tertio.

DOCUMENT (T).

RÉPONSE DE BONIFACE AU PEUPLE ROMAIN.

Bonifacius etc. dilectis filiis nobili viro Pandulpho de Sabello Senatori, et Populo Urbis salutem, et apostolicam benedictionem. Romanum Populum peculiare, et praedilectos filios praecipua caritate constringimus, et specialiori prosequimur prerogativa favoris. Sane dilectos filios Ambasciatores vestros ex parte vestra solemniter in quantitate non modica nuper ad nostram praesentiam accedentes paterna benignitate recepimus, et quae tam verbo, quam scriptura nobis exponere voluerunt attendimus diligenter; ipsi namque coram nobis, et Fratribus nostris tam ore tenus, quam in scriptis ex parte vestra proponere curaverunt, quod iidem Ambasciatores de mandato tuo, Senator, et ex deliberatione Consilii generalis, et specialis, et quamplurium aliorum proborum virorum in ipso congregatorum, et parlamenti more solito publice congregati ad Colupnenses tam clericos, quam laicos scismaticos, nostros et Ecclesiae Romanae rebelles, et hostes nuperrime accesserunt, et ex parte vestra, Senator et Popule, praedictis suaserunt Clericis et induxerunt eosdem, et praefatis Laicis mandarunt, quod ad pedes nostros reverenter venirent nostra, et ipsius Romanae Ecclesiae absolute, ac libere mandata facturi; ad quae praefati scismatici, et rebelles ipsis ambasciatoribus responderunt, quod ipsi parati erant; et offerebant se venturos ad pedes nostros, ac nostra, et praefatae Ecclesiae mandata facturos; qua responsione a praedictis Columpnensibus Ambasciatores ipsi audita, redeuntes ad Urbem ipsaque relata a te Senatore, sicut ex dicti consilii, et nostra popule ut asserebant ordinatione concesserat (*sic*) susceperunt mandatum quod iidem Ambasciatores ad praesentiam nostram accederent, ac nobis ex

parte vestra, Senator et Popule, supplicarent, ut intuitu Dei, et consideratione vestra dignaremur praefatos Columpnenses, ut praemittitur venientes benigne recipere, ac misericorditer pertractare. Nos igitur illius vices gerentes qui mortem non fecit, nec delectatur in perditionem vivorum, et filios abeuntes in derium regionis dissimilitudinis (*sic*) humiliter revertentes, suaque recognoscentes peccata ad poenitentiam libenter admittit, praefatis scismaticis, hostibus, atque rebellibus si suas recognoscentes culpas, et scelera humili spiritu, et contrito ad nostra, et praefatae Ecclesiae mandata pure, absolute, absque intendimento aliquo, alte, basse, ac ad pedes nostros reverenter, et personaliter absque morae dispendio venire curaverint, et tam Personas suas, quam Civitatem, Arces, et Castra, quae detinent, detinentur pro eis, in manibus, et posse nostris, ac eorum, quibus mandabimus, posuerint cum effectu, gremium non claudemus quin eos taliter redeuntes, sic misericorditer et benigne tractemus, quod sit gratum Deo, honorabile nobis, et ipsi Ecclesiae, et ex nostris, et ipsius Ecclesiae actibus exemplum laudabile posteris relinquamus. Nec volumus vos latere, quod per verba dilationis deduci nolentes, non intendimus abstinere, quin interim contra eos, ac sequaces, et fautores ipsorum, et terras quae pro ipsis tenentur, temporaliter, et spiritualiter procedatur. Caeterum gratanter audivimus, et quod nobis per ambasciatores supplicastis eosdem ut ad Urbem, moraturi in ea, in instanti hiemali tempore, veniremus: super quo tenere nos volumus, quod alia caetera loca preter illud ubi nostri sedes apostolatus existit minus gratanter incolimus; nam sicut jam vera presagia manifestant nedum vivi, sed etiam post praesentis vitae decursum cupimus in urbe ipsa quiescere, constructa jam in basilica Principis Apostolorum de Urbe speciali cappella ubi nostram elegimus sepulturam; sed adhuc de veniendo, vel non veniendo ad praesens ambasciatoribus ipsis responsum certum non dedimus, sed ex causa in suspenso teneamus, ut videre possimus qualiter praedicta procedant, et d....

am quam ad nos gessistis, et geritis effectivis valeamus operibus experiri.

Datum apud Urbem Veterem tertio Kalen. Octobris pontificatus nostri anno tertio.

DOCUMENT (U).

DEUX DISCOURS DU PAPE BONIFACE VIII, PRÊCHÉS A ORVIÈTE, EN PRÉSENCE DES CARDINAUX, SUR LA CANONISATION DE LOUIS IX, ROI DE FRANCE.

« Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. » Mat. XXII. c. Notandum quod reddit Deus, et reddit homo. Deus reddit bonis bona, malis supplicia, utrisque iusta. De malis in Psalmo dicitur: « Reddet retributionem superbis, » De bonis etiam in Psalmo: « Redde mihi laetitiam salutaris tui; » id est, gloriam aeternam, quae est laetitia sempiterna. De utrisque dicit Apostolus II. Cor. 5. « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. »

Item reddit homo Deo, reddit proximo. Primo debet reddere Deo, illa quae vovit. Unde in Psalmo: « Vovete et reddite Domino Deo vestro, etc. » Hoc intelligitur tam de voto tacito, quam expresso. De voto tacito, sicut de illis, quae in baptismo, licet tacite, promittuntur. De expresso dicitur Lucae XVI. « Redde rationem villicationis tuae. » Hoc specialiter dicitur de illis, qui ex voto seu promisso expresso obligati sunt Deo specialiter servire. Secundo reddit homo proximo caritatem et concordiam. Unde Apostolus Rom. XIII. « Nemini cuiquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. » Istud vero debitum est, quod quantumcumque, et quotienscumque redditum, semper nihilominus hominem detinet debitorem.

Ista vero verba primo proposita accipi possunt in persona summi Pontificis, et totius Ecclesiae militantis, ut dicatur eis pro sanctae memoriae Rege Ludovico, « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, etc. » Ut per Caesarem intelligamus istum sanctum Regem, cui honor merito debetur. Unde concluditur Rom XIII. « Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. » Et ita debemus reddere unicuique quod suum est, tam Deo quam homini, et maxime illi sancto Regi, de quo agitur. Reddendo enim honorem homini, redditur etiam Deo, qui est laudabilis in Sanctis suis. Unde in Psalmo, « Mirabilis Deus in Sanctis suis etc. » Item ibidem, « Laudate Dominum in sanctis ejus etc. » Accedamus ergo ad propositum negotium venerandum, honorandum, et desiderandum, quod jam per XXIII. annos vel amplius stetit in fornace examinis Curiae Romanae, seu sedis Apostolicae. Unde notandum, quod multi vestrum viderunt, et nos etiam vidimus sanctum illum Regem Ludovicum, cuius vita inclyta cunctas illustrabat Ecclesias. Et sicut nos in parte vidimus, et per probata audivimus, et scimus, vita eius non fuit solum vita hominis, sed super hominem; non fuit interrupta; sed ab infantia continuata, de bono in melius semper procedens, semper augmentata. Secundum id quod dicitur in Psalmo, « Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. » Ipse enim sic procedens, jam de regno terreno Franciae ascendit ad regnum aeternum gloriae, ut possit dicere illud Psalmi: « Ego enim constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, etc. » Et quia dicitur in Proverb. « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque in perfectum diem: » Idcirco non est passus Dominus, ut lucerna ista poneretur sub modio; sed super candelabrum, ut luceret his qui in domo Dei sunt. Unde voluit Dominus manifestare hominibus qualis iste Sanctus erat, et est coram eo; et hoc tam per testimonium Dei, quam hominum.

Testimonium enim hominum requiritur ibi sicut testimonium veritatis, quantum ad certitudinem vitae suae sanctae, quam in hoc mundo gessit. Vita vero ejus sancta omnibus fuit manifesta, faciem ejus aspicientibus, quae plena erat gratiarum, sicut dicitur Hester XV. Quantum vero ad opera, fuit manifesta specialiter in eleemosynis pauperum, in fabricationibus hospitalium, in aedificiis Ecclesiarum et caeteris misericordiae operibus, quae omnia enumerare longum esset. Nec fuerunt ista momentanea seu parvo tempore durantia, sed usque ad mortem continua. Item quantae fuerit justitiae, apparuit evidenter non solum per exempla, imo etiam per tactum. Sedebat enim quasi continue in terra super lectum, ut audiret causas, maxime pauperum et orphanorum, et eis faciebat exhiberi justitiae complementum. Unicuique etiam redderet quod suum est. Unde potest dici de ipso, quod dicitur Eccles. XVI. « Opera justitiae ejus quis enunciabit? » quasi dicat, enumerari non possent. Et ideo in pace et quiete magna tenuit regnum suum. Concordes enim sunt pax et justitia. Et ideo sicut sedit in justitia, ita regnum ejus quievit in pace. Unde verificatum est de ipso quod dicitur Proverb. XX. « Misericordia et veritas custodiunt Regem, et roborabitur clementia thronus ejus. » Voluit insuper Dominus manifestare sibi, quod erat vas electionis ad portandum verbum suum coram gentibus, et Regibus, et filiis Israel. Et ideo ostendit illi, quanta oportebat eum pro nomine suo pati: quia licet tot divitiis, deliciis, et honoribus abundaret, relinquens omnia, corpus suum et vitam suam exposuit pro Christo, mare transfretando, et contra inimicos Crucis Christi et fidei Catholicae decertando, usque ad captionem et incarcerationem proprii corporis, uxoris, et fratrum suorum.

Quantam vero animi constantiam, et quale exemplum justitiae et bonitatis ostenderit in adversitate praedicta, hoc sciunt illi fide digni, qui ab illis, qui interfuerunt, veritatem diligenter inquisierunt. Nam cum captus esset a Soldano, et fratres sui,

et certa summa pecuniae deberent redimi; volebat Soldanus quod illa pactio seu processio pecuniae tali pacto firmaretur, ut si dictus Soldanus a promisso recederet, legem suam et Deos suos abnegaret. Ipse vero Rex e converso, si pactum non teneret, fidem Christi negaret. Pius vero Rex et Catholicus haec audiens, exhorruit, et monitus a fratribus suis ut hoc faceret, dicentibus quod hoc satis licite poterat promittere, postquam non intendebat a pacto seu conventionem recedere, respondit eis sic: Dominus faciet id quod voluerit tam de me, quam de vobis. Vos ut fratres diligo, me etiam ut me diligo. Sed hoc avertat Deus, quod tale verbum de ore Regis Franciae unquam exeat, quicquid inde debeat accidere. Soldanus vero videns ejus magnam constantiam tam in gestibus quam in responsis, credidit verbo suo simplici, et ipsum ac fratres suos, ac etiam omnes reliquos, quos tenebat, dimisit. Miracula etiam tempore captionis suae plurima acciderunt, inter quae unum fuit praecipuum, et relatione dignum. Quidam enim Religiosus, qui eum secutus fuerat, et cum eo captus, dum staret secum in una camera secreta, coepit Rex devotus multum conqueri et condolere propter hoc, quod Breviarium non habebat, ubi posset dicere Horas suas Canonicas. Respondit frater ille, eum consolando: Non est curandum in tali articulo: sed dicamus nihilominus « Pater noster, » et alia quae poterimus. Sed cum multum affligeretur super isto, invenit iuxta se subito Breviarium suum proprium, divinitus, ut credimus, sibi et per miraculum est apportatum.

Item postquam à carcere fuit liberatus, non vixit, nec indutus fuit sicut prius: licet vita et conversatio eius prius fuisset satis honesta. Vestes enim, quas postea habuit non erant Regiae, sed Religiosae: non erant militis, sed viri simplicis. Vitam etiam eius, qualiter in aedificationibus Ecclesiarum, et visitationibus infirmorum, caecorum, et leprosum continuaverit, nullus enarrare sufficit.

Inter caetera vero, hoc exemplum notabile recitatum fuit no-

bis a fide dignis, dum essemus in Francia; quod apud Abbatiam Regalis-montis erat quidam Monachus lepra abominabiliter infectus, in tantum quod propter foetorem et abominationem ulcerum, vix inveniebatur, qui ad eum accedere vellet: sed quae necessaria erant a longe eidem projiciebantur seu dabantur. Rex vero pius audiens hoc de illo, pluries visitavit eum, et eidem humiliter ministravit; saniem ulcerum ejus studiose detergendo, et eidem cibum et potum propriis manibus ministrando. Talia namque et consimilia consuevit facere in domibus Dei et Leprosariis, et specialiter in domo Dei Paris. quod multi et multotiens viderunt. Unde in talibus apparet, quantae compassionis et pietatis fuerit iste Rex factus.

Item quantarum eleemosynarum fuerit ipse sanctus homo, apparet per illos, qui statuta dandi eleemosynas suas noverunt. Inter alia namque statuit, quod quotienscumque de novo intrabat Paris. novae eleemosynae darentur Religiosis, et specialiter Mendicantibus, et ideo frequentius exhibat, ut saepius eleemosinae hujusmodi redderentur.

Praeterea non suffecit ei dare sua, sed volens plus reddere Deo, reliquit mundum, uxorem, et regnum, exposuit filios suos, et reliquit seipsum, iterum in Terram sanctam peregrinando. Poterat dicere Domino cum beato Petro et reliquis Apostolis, id quod dixit Petrus Matt. XX. « Ecce reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Et in tanta perfectione, qua secutus fuerat, vitam finivit sanctissime. Nam secundum quod testificatum est ab assistentibus, iste non fuit finis hominis humanitati, sed quodam modo iam sanctificati servi. Quod apparuit in verbis, et monitionibus Sanctis quas in lecto mortis dicebat: et in signis, quae tunc temporis evidenter in ipso apparuerunt. Quam vero salubria exempla et monita reliquit posteris, indicant maxime documenta sancta, quae pius Rex ante mortem filio suo primogenito, et filiae suae Reginae Navarrae scripsit, et quasi pro testamento eis reliquit. Cum etiam signis evidentibus appropinquaret ad

finem, de nullo erat sollicitus, nisi de iis, quae ad solum Deum proprie pertinebant, et ad exaltationem fidei Christianae. Unde in fine dixit: Amodo nullus loquatur mecum. Et sic stans per magnum spacium, quasi nullus permissus est loqui sibi, nisi, Sacerdos sive Confessor proprius. Et sic ad extremam horam veniens, spiritum reddidit Creatori.

Istum vero sanctum Regem merito vocavimus Caesarem, qui possessor Principatus, seu possidens Principes interpretatur. Ipse enim Principatum, seu Principem huius mundi possedit: tres inimicos humanae naturae, mundum, carnem, et diabolum prosternendo. Vicit enim mundum, quia stans in mundo mundum prostravit et calcavit, contemnendo, et Deo subdidit; terrena, quae mundi sunt, in eleemosynis distribuendo. Diabolum etiam calcavit. seipsum, sicut superius dictum est, summe et perfectissime humiliando; et signo crucis, quod assumpsit, et tamdiu portavit, ipsum prosternendo. Carnem nihilominus vicit et domavit, eam spiritui subjiendo. Maxime quia sicut constat ex testimonio plurimorum, iste numquam carnem suam divisit in plures, nec cum aliqua peccatum commisit. Ita quod ipsemet, excepta uxore propria, virgo ab aliis permansit.

Videns ergo Deus istum talem et tantum virum sic bene ingressum, sic melius progressum, sic sanctissime de mundo egressum; voluit quod non staret amplius lucerna sub modio, sed per grandia et multa miracula voluit eum manifestare, et quasi super candelabrum ponere. Nam sicut invenimus, vidimus, et nosmetipsi die propria examinavimus per plures inquisitiones a nobis, et a nostris fratribus, ac etiam pluribus summis Pontificibus approbatas: sexaginta tria miracula, inter caetera, quae Dominus evidenter ostendit, certitudinaliter facta cognovimus.

Quia, sicut alias dictum est, actus iste, scilicet ascribere in catalogo Sanctorum per canonizationem Romani Pontificis, singularis excellentiae reputatur in Ecclesia militante, et ad solum Romanum Pontificem pertineat hoc agere: idcirco summam gra-

vitatem in facto tam singulari Sedes Apostolica voluit observare. Quamvis et vita sua fuisset ita manifesta, et multa miracula visa, sicut superius dictum est, preces etiam Regiae, Baronum, et etiam Praelatorum pluries accessissent: nihilominus cum inquisitionibus privatis pluribus iam factis, adhuc voluit inquisitiones solemnes per non parum tempus facere. Duravit istud negocium iam per XXIV. annos, vel amplius. Et licet Dominus Nicolaus III. ante dixisset, quod ita nota erat sibi vita istius sancti, quod si vidisset duo vel tria miracula, eum canonizasset; sed morte praeventus non potuit hoc perducere ad effectum. Ex abundanti tamen fuit adhuc commissum negocium inquisitionis viris venerabilibus et discretis, Archiepiscopo scilicet Rothomagensi, et Episcopo Antsiodorensi, et magistro Rolando de Palma Episcopo Spoletano. Et isti de sexaginta tribus miraculis testes receperunt, examinaverunt, rubricaverunt: et iam sexdecim annis transactis ad Curiam remiserunt. Insuper per illos sexdecim annos continue aliqui ex parte Regis Franciae, necnon Praelatorum, et principum, et specialiter Frater Joannes de Samessio, continue institerunt.

Tandem pro dicto negotio, tempore domini Martini commissum est negotium tribus Cardinalibus ad examinandum, qui viderunt, examinaverunt, et pro magna parte rubricaverunt. Sed cum ante mortem domini Martini non fuisset facta relatio negotii, pervenit tandem ad tempora Domini Honorii. Et tunc lecta sunt plura miracula. et coram fratribus nostris Cardinalibus diligenter discussa. Sed dum ventilaretur negotium, superveniente morte Domini Honorii, negotium siluit.

Tempore vero domini Nicolai IV. commissum est negotium tribus aliis Cardinalibus, domino scilicet Hostensi, domino Portuensi, et nobis in statu Cardinalatus adhuc existentibus: quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium prius fuerat commissum. Postea etiam mortuo domino Hostensi, subrogatus fuit sibi dominus Sabinensis. Et ita per tot, et totiens examinatum

est, rubricatum, et discussum negotium; quod de hoc facta sit copia scripturarum, Nos et de manu propria scripsimus, et diligenter examinavimus multa miracula fuisse sufficienter probata.

Temporibus autem nostris non sunt mutati examinatores, sed tamen iterum lecta sunt plura miracula, examinata, et rubricata, non solum per illos predictos examinatores, sed etiam plures alios Cardinales. Et voluimus, ut quilibet sigillatim daret consilium suum in scriptis, ne odio, vel amore, seu etiam timore aliquo aliquis taceret.

Ex istis ergo, et pluribus aliis potest evidenter concludi, quod servata fuit maturitas et plus quam maturitas in praedictis. Et ideo de tam manifesto viro, et sic in sanctitate vitae et miraculorum probato, secure possumus asserere, quod non debet amplius fama sanctitatis eius sub modio latere, sed debemus ei dicere: Amice, ascende superius, ut sit tibi gloria in Ecclesia militante coram simul discumbentibus. Et ideo quasi ex ore Dei dicta sunt nobis et Ecclesiae militanti verba proposita in principio, « Reddite quae sunt Caesaris Caesari, etc. » ut in hoc reddatur Deo quod suum est qui laudatur in Sanctis suis. Reddatur Caesari isti quod suum est, scilicet honor, et gloria debita, Sanctis reddatur, et matri nostrae Ecclesiae triumphanti quod suum est, scilicet debitum laudis: et hoc in isto sancto, qui connumerari debet merito cum aliis sanctis, quia civis effectus est patriae caelestis. Et sic cum matre nostra debemus conlaetari, et istum tanquam sanctum honorare: ut sic per consequens exemplis vitae eius in Ecclesia militanti recitatis, fides Catholica roboretur, Reges et principes ad bonum animentur, et omnes universaliter in bonis suis operibus et exemplis aedificentur, et ad majora bona provocentur, quod nobis praestare dignetur, qui vivit et regnat, etc. amen.

« Rex pacificus magnificatus est, » quia eodem Spiritu Sancto, quo locuti sunt et illuminati patres veteris Testamenti, Patriarchae videlicet et Prophetae, locuti sunt etiam sancti novi Testa-

menti. Propter quod dicit Apostolus I. Cor. XII. « Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, dividens singulis prout vult. » Unde militans Ecclesia eodem spiritu loquens, quasi exultando assumit verbum propositum, quo ad sententiam de tertio libro Reg. X. et de secundo Paralip. IX. et tamen mutat verba, quae licet ad literam dicta sunt de Rege Salomone in veteri Testamento; tamen quia de exaltatione Ecclesiae loquitur, propter magnificationem et exaltationem sanctissimi Regis Ludovici, possumus eodem spiritu de ipso verba proposita exponere, in quibus sanctus Rex Ludovicus in tribus commendatur, primo de excellenti statu, quia Rex; secundo à donis et virtutibus, quia pacificus; tertio apraemiis et renumerationibus, quia magnificatus in Ecclesia, scilicet militanti.

De primo notandum, quod qui bene regit seipsum et subditos, ipse vere Rex est. Sed qui nescit regere se et subditos, audacter dicendum est, quod falsus Rex est. Iste vero Rex fuit in veritate, quia seipsum et subditos vere, iuste, et sancte regebat. Seipsum enim rexit, quia carnem subiecit spiritui, et omnes motus sensualitatis rationi. Item subditos bene regebat, quia in omni iustitia et aequitate ipsos custodiebat. Rexit etiam Ecclesias, quia iura Ecclesiastica, et libertates Ecclesiae illaesas conservabat. Sed qui de facto bene non regunt, vere Reges non sunt.

Secundo, commendatur a donis et virtutibus, cum dicitur pacificus, id est pacem faciens. Per istud enim donum, et per istam virtutem intelliguntur caetera dona et virtutes. Fuit autem pacificus in se, et quoad omnes non solum subditos, sed extraneos. In se fuit pacificus. Habuit enim pacem temporis, pacem pectoris, et ideo tandem consecutus est pacem aeternitatis. Qualiter vero pacifice tenuit regnum suum, hoc sciunt omnes, qui sunt illius temporis. Ista vero pax non est sine iustitia. Sequitur enim iustitiam. Et quia iste justus fuit quoad se, quoad Deum, et quoad proximum, ideo pacem habuit.

Ex istis sequitur tertium, quod magnificatus est, id est magnus factus non solum in presenti Ecclesia, sed etiam in patria. Notandum vero, quod vulgariter loquendo aliquis dicitur magnus quadruplici ratione, secundum quadruplicem dimensionem: videlicet primo quia longus, secundo quia latus, tertio quia profundus, quarto quia altus, sive elatus. Ista habuit sanctus Rex spiritualiter. Fuit enim longus per perseverantiam et longanimitatem in bono. Ab infantia enim cœpit bene vivere, et usque in finem perseveravit. Unde potest exponi de ipso, quod dicitur de Isaac Genes. XXVI. « Benedixit ei Dominus, et locupletatus est: et ibat proficiens atque succrescens, donec vehementer magnus effectus est. » Iste spiritualiter loquendo fuit Isaac, qui risus interpretatur, quem peperit Sara iam vetula, per quam potest significari Ecclesia istius temporis in senio novissimorum temporum constituta, quæ nobis peperit istum Isaac, qui nobis merito debet esse materia risus et gaudij. Sequitur, « ibat proficiens, etc. » ut possit dicere cum Apostolo, II, ad Tim. IV. « Bonum certamen certavi, cursum consummavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, etc. »

Secundo dicitur magnus, quia latus, sive amplus; et hoc per charitatem. Unde Eccl. XLVI. « Fortis in bello Jesus Nave, » et seq: qui fuit magnus secundum verbum *isuum*, maximus in salutem electorum Dei. Non enim est memoria apud homines, ut credimus, quod inventus fuit isti similis nostris temporibus, qui tantum zelaret pro salute aliorum. Quod bene apparuit, quando ipse et fratres sui capti fuerunt a Saracenis. Non enim sustinuit liberationem suam, nec fratrum suorum, donec omnes alii quotquot fuerunt capti, prius fuerint liberati.

Tertio dicitur magnus, quia profundus, hoc per humilitatem. Quanto enim magis profunde se humiliat homo, tanto major apud Deum reputatur, secundum id quod dicitur Luc. XIV. « Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. » Et quia iste profundissime se humiliavit, ideo apud Dominum

merito magnus extitit. Unde potest exponi de ipso quod dicitur I. Reg. II. de Samuele, « Magnificatus est Samuel apud Dominum. » Ipse vero humiliavit se intus et extra, in lingua, in corde, in veste, in orationibus. Et hoc possumus secure asserere, quod facies sua benigna et plena gratiarum docebat eum esse supra hominem. Intelligitur vero congrue per Samuelem, quod interpretatur, Obediens Deo. Obedivit enim Deo usque ad mortem.

Quarto dicitur magnus, quia altus, sive elevatus fuit per intentionem rectam ad Deum, omnia quæ agebat Deo attribuendo, et ei gratias agendo; secundum quod dicitur in Psalmo: « Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. » Unde de ista magnitudine loquitur Judith XVI. loquens Deo, « qui timent te, magni erunt apud te per omnia.

Apparet igitur qualiter isti sancto competunt verba primo proposita « Rex pacificus magnificatus est. » Et quia sic quadrupliciter fuit magnus in terris, sicut dictum est, idcirco omnino tenere debemus, quod etiam sit magnificatus in cœlis. Hoc enim pertinet ad divinam justitiam, quod qui bonus et justus fuit in vita, magnificetur et exaltetur in gloria. Quod apparet de isto per multa et magna miracula: quæ Dominus per ipsum ostendit. Et ideo merito ipsum glorificatum et magnificatum credimus in cœlis, et ideo eum catalogo Sanctorum ascribimus, præcipientes omnibus fidelibus Christianis, quod ipsum tanquam sanctum, et per plura miracula notificatum veneretur, et eius patrocinia corde devoto sibi postulet suffragari. Quod nobis præstare dignetur qui vivit et regnat, etc. amen.